



Ioachimus filius fuit illustrissimi principis Ioachimi Electoris, nepos Ioannis, & pronepos Alberti marchionum Brandenburgensium. natus est est autem 9 die Ianuarij 1505. Is cum multis uirtutibus adolescens adhuc cōspiciuus esset, magnam omnibus de se spem exhibuit. Itaq; post patris obitum anno 1537 in Electoratu successit, parte quadā Iohanni fratri principi optimo ditionis concessa. Is postea Sigismūdi regis Poloniae filiam uxorem duxit, atq; hac ratione multorum principum beneuolentiam sibi conciliauit. Eo tempore Euangelij doctrina passim per Germaniam disseminabatur. hāc cum Ioachimus eruditorum iudicio cōprobasset,

Ecclesiae statum in sua ditione mutauit, atq; Saxoniam religionem recepit, libro eius rei gratia edito. Cum autem rudem populum externis ceremonijs plurimū moueri, & in officio contineri intelligeret, multas antiquarum caeremoniarum in templis retinuit, & nihilominus Verbum Dei purē annuntiarī curauit.